INAUGURALIS ORATIO

DE

PHYSICORUM PONDERE ET NECESSITATE

AD

SACRAS DISCIPLINAS EXCOLENDAS.

INAUGURALIS ORATIO,

QUAM

PRO ANNUA STUDIORUM SOLEMNI INSTAURATIONE

IN

Sancti Bartholomaei

CONCILIARI SEMINARIO GADITANO
LABENTIS ANNI XVII CALENDAS OCTOBRIS

EXTULIT

D. NICOLAUS RUBIO ET GETRERO, PRESBYTER,

SCIENTIAS DOCENDI FACULTATE PRAEDITUS,
IN EODEM SEMINARIO PHILOSOPHIAE NATURALIS INSTITUTOR,
APUD PROVINCIALE LYCEUM MATHESEOS PUBLICUS ORDINARIUS PROFESSOR,
REGIAE GADICENSIS ACADEMIAE ET STENOGRAPHICI
COETUS PARISIENSIS SOCIUS, ETC.

DE PRAESCRIPTO HUJUS DIOECESEOS PRAECLARI ANTISTITIS

Illmi. et Revmi. Dris. D. D. JACOBI CATALÁ ET ALBOSA

CONTEXTA,

IPSIUSQUE APPROBATIONE ET MANDATO
TYPICO PRELO EXCUSA.

(SUMPTIBUS SEMINARII)

GADIBUS.

APUD F. JOLY TYPOGRAPHIAM.

MDCCCLXXXI

†

Est etiam necessaria creaturarum consideratio non solum ad veritatis instructionem, sed etiam ad errores excludendos. Errores namque, qui circa creaturam sunt, interdum a fidei veritate abducunt.

S. TH. SUMM. C. GENT. L. II, C. 3.

ILLME. AC REVME. DOMINE:

Hujus Seminarii assiduam juventutem, jam jamque scientiarum disciplinas avidè arrepturam, alloquendi munus injunctum non modò egregium, verùm etiam placitum mihi fuisset, nisi impexis verbis exaugurare timerem quotannis perspectè evocatas auras, quas isthae sacrae concamerationes adhuc repercutere gestiunt. Facultatem exinde sortitus eram venerabilis Minervae arcis obtentum reducendi siparium, et eximium institutionis opus prae omnibus aggrediendi, occipientis curriculi convolutas fores reserando. Per opportunam deinceps et a Te, Illme. Domine, consultè inditam rem ingenti perfussus sum gaudio, non quod tantum et jucundum argumentum disertim et ornaté pertractare posse inaniter gloriarer; sed quoniam facilis accedebat ansa ad praejudicatas quasdam sententias in naturae exquisitiones, quae prae earum venustate pulchritudine ac utilitate hodiernos animos arripiunt, minuendas et profligandas.

Subest enim in praesentiarum archaicus sapientium grex, quibus non solùm ignotum superest "considerationem creaturarum ad instructionem fidei christianae pertinere" [1];

---

(1) S. TH.—*Summ. c. Gent.*, lib. II, cap. 2.

sed qui naturalium legum examen, physici mundi indagationem et studium tamquam sacerdoti non consentaneum, vel sacris disciplinis oppositum, insipientiâ nescio an dolosa fide, praestabilire moliuntur.

Nullum est scientiarum genus hac denominatione dignum, quod alii sapientiae ramici non dicam noxium et contrarium, sed neque ab illo sejunctum et interclusum sit. Scientifica constructio, suâpte insita natura, unum corpus suis numeris absolutum constituit, cujus partes inter se cohaerentes et principiis, quibus innituntur, illigatae consistunt, sicut totidem ex eodem fonte scaturientes rivuli, aut ejusdem arboris propagines communi latice enutritae: unus est divini luminis nitidissimus radius, qui mentis humanae nimbum stillantem permeans, in plures dispergitur speciosos iridis colores. Verùm enimvero, non est haec originis arcta communio solus scientiarum nexus et harmonicus concentus; ad instar corporis venarum systematis, aliae aliarum ditionem per anasthomosim irruentes, salubri melligine irrigant, firmamentum et columen sibi prestant, ac sese micante luce perfundunt, cujus ope plurima quaesita, alioquin inenodanda, dilucidantur et exsolvuntur. De iis externis relationibus, de his salutaribus subsidiis, quae alii ab aliis scientiarum surculi mutuantur, quum de collatione naturalium et divinarum agitur, me loquuturum esse intelligi velim.

Quid creaturarum consideratio, quid adspectabilium phaenomenorum descriptio, quid naturae legum conquisitio et studium conferat ad fidei fundamenta intelligenda et enucleanda, ad divinam Christi doctrinam exponendam et persuadendam, atque ad Ecclesiae catholicae adversariorum incursus retundendos, nec unius disputationis finibus coërceri potest, nec mihi, sed quibus doctè politè et luxuriosè dicere datum est, committi debuit. Vestrae tamen, Revme. Domine, ordinationi jucundissimè obtemperans, dum Physicorum pondus et necessitatem ad sacras disciplinas excolendas confirmo, haec capita leviter attingam, atque eorum comprobationes perfunctoriè innuam, adeo fecundum, delec-

tabile commodumque argumentum summis quasi labris delibando.

Nunc igitur ad haec conficienda, tam egregiae hujus Frequentiae quam meorum in munere Consortium indulgentiae commissus, gnaviter accedo. A vobis autem, carissimi adolescentes, in hac litteraria diatriba scientiae terentes viam, quorum intellectualem cultum nativo studio et integro amore prosequor, unum pro mea erga vosmetipsos dilectione requiram: intentum docilemque animum exoro.

Saluberrima Christi religio, quamvis ad spiritûs ditionem pertineat, et supra mentis humanae aciem reposita consistat, cujusque aetatis mortales respicit naturalis luminis compotes ad Dei cognitionem assurgendi, corpore ac sensilibus organis praeditos, materiae undequaque obnoxios, eique arctis et fatalibus vinculis constrictos. Minimè propterea mirandum est, et naturales scientias sacrarum disciplinarum dexterae dexteram amicè committere, si recta divinitatis notio ejusque attributorum, tamquam fidei fundamentum, conquirenda ac solidanda est; et easdem theologi munus obeunti suppetias ferre posse, dum fidem et doctrinam Ecclesiae dignoscere, evolvere ac enodare tenetur; et denique Christi nominis adversarios in earumdem castra confugere ad tela et arma, quibus dimicare valeant, subripiendum.

Cum egregium et affabrè moderatum opus artificem accendat, ejusque ingenium, vires, sensum, consiliumque tradat, mundus universus singularis Dei conceptio, effectum suum in tempore sortita, hieroglyphicum est supremae potentiae et virtutis; arcana sigla infinitae sapientiae atque erga res omnes providentiae et curae; mysticum alphabetum, cujus notas humanus spiritus ordine conjungit ad consuetudinem cum perfectissimo Spiritu ineundam (1). Sublimem

(1) Schiller: *Philosophischer Brief über die Welt und das denkende Wesen.*

*

naturae librum, in cujus fronte ineffabile nomen YHOWAH scriptum est, laxate et evolvite: omnibus solerter ac studiosè recolentibus divinae majestatis revelatio, non theorica, arida et jejuna, sed animum perfundens, sensum inebrians, voluntatem rapiens et vivificans, etiam invitis objicitur.

Intentis oculis Universi megalographiam sigillatim intueamur: animantium infinitam copiam pulchramque varietatem, tam in terrestrium quam in aquatilium et volatilium regione, ab ingentibus cetis maris undas convolventibus usque ad minutulos vita pollentes, quorum millia millium invisibilis pene loci spatium latissime capit. Quam politissima organa, eorumque mirifica temperatio et oeconomia! Quot in vitalibus actis obscura atque explicatu difficillima! Quanta exquisitissimae artis opera eorum instinctu patrata, quae ab homine non dicam affingi, sed neque adumbrari passa sunt [1]! Obtutum figite in regnum vegetabilibus afluens, partim submersis vel natantibus, hinc inde pelagi fluctibus jactatis; partim sternentibus convalles et ridentia prata florum catacritis, ubi canorae et pipilantes aves teneras naenias concinunt carminaque nuptialia; partim spissa nemora densasque silvas contexentibus, quae inter nubilà capita recondunt, ubi volucres nidificant, et abnoctant. Quam multiplici diversitate praedita eorum species et pulchritudo! fructuum suavitas et coloribus ornatae flores, odorifera suffimina spirantes! Quot mysteriorum arcana in eorum functionibus animus invenit, a seminis germinatione inceptando et in fructûs maturitate finem considerationi imponendo!

Horum omnium sedes et domicilium, terra universa cernatur, mira celeritate per aetheris deserta fluens: extrinsecùs solido cortice munita, qui infinitam vim marmoris, jaspidis et gemmarum, auri argentique venas coërcet, et ardentes fontium liquores et speluncarum concavas latitudines continet: interiùs aestuosus inardescit rogus, qui liquatos et ac-

---

(1) Vid. SWAMMEDAN *Biblia naturae*, et pervulgatum opusculum a J. MICHELET: *El Insecto*, ubi praecipua de hac re scripta referuntur.

censos silices per ignivomos montes repellit, vel soli strata sursum concitando, Orbis anaglypta caelat, et saxorum asperitates, et impendentium montium altitudines, ad quorum radices supini campi substernuntur; inferiùs vasta et depressa loca, in quibus congregantur aquae, terrestre viridarium irrigaturae: circumfusa deinceps aëris subtili veste, ubi metheora collucent, tempestates efformantur, fulmina procuduntur; in cujus abditis plicis calorem, frigus, uvorem et animantium vitam circumvolutam comportat[1]. ¡Quid spectabilius quam orbis terrarum monstrum, cujus ossa antiquae solidissimae rupes, caro subacta humus, praecordia fusa et inardentia saxa; emicans cor pelagus jactitans humores, qui ventorum pennis vexati, vitam et calorem ad frigidas plagas deferunt; pneumata elati montium vertices vorticibus frequentes, ubi vapores in nivim contracti et aestatis tepore subfusi, ad agros fovendos aptissimi, per amnium incila aut per subterranea ambulacra, quasi per corporis arterias, in mare redeunt, ut eamdem postea apsidem iterum atque iterum percurrant!

Verùm oculos a tellure avertentes, quae non est nisi *scabellum pedum Domini*, conjicite in concameratum coeli fastigium, super quod *tabernaculum suum posuit Altissimus*, in longe lateque distentum aetherem, cujus altitudo amplitudo et profundum nec visu nec mente dimetiri patiuntur. Ibi refulget vastissimus Aster diei, qui noctis caliginem dissipans, animantibus vitam, arboribus incrementum, terrae motum, vires, calorem et animam praestat[2]; ipse tamen cum frequenti planetarum comitatu, attractionis vi circa seipsum retento, et cujus imperium ultra centummillies milliamillium leucarum protenditur, non est nisi atomorum tantillum in vacuo fluctuans: una ex innumeris in coelo deperdita stella. Ibi scintillans collucet fixarum immensus agmen mirifica ordinatione dispositum, sicut totidem magni

---

(1) H. Burmeister: *Histoire de la Creation*, chap. III, IV, IX et X.—A. Secchi: *Le Soleil*, deux. part. chap. I, § 6.

(2) Id.: *ib.*, pág. 298, prem. edit. Paris, 1870.

exercitus centuriae, quae viam aeternitatis percurrunt. Ibi pene infinita versantur mundorum systemata, in quibus creaturae, animâ fortasse et ratione praeditae, gloriam Dei enarrantes degunt[1]. Verùm, oh altitudo potentiae et scientiae Dei! totus hic corporum complexus, qualis per quietam et innubilam noctem nudis oculis affulget, nihil aliud est quam stellaris pulveris acervus unus ex sexmillibus, qui ab astronomis instrumentorum ope comperti sunt[2]. Quis tantae magnitudinis portentum cum consideret, summam Creatoris majestatem admiratione, cultu, gratitudine et amore spontè non prosequitur? Qui haec omnia accuratè perpenderent studioseque extricarent, aptiorem supremi Numinis ideam consequi pollerent, et Deum et ejus providentiam abesse nunquam arbitrarentur.

Praedicta rerum infinita congeries non est turbata et indigesta colluvio; sed consonantissima ordinis harmonia, suis causis connexa et consultis subjecta legibus, quae restrictis experimentis et mathesis potenti machina compertae, ad capita reductae sunt; quasque mortalium mens, omnia perpeti audax, ad absolutam unitatem revocare in praesentiarum enixè contendit[3]. Aliae, Chimiae subtili analysi adscitae, corporum constitutionem, et proprietates inde deductas respiciunt; aliae caloris lucisque phaenomena regunt, necnon electri vires, quae per secula diù sopitae, et levi frictione experrectae, tot mira praestantiaque vitae commoda attulerunt: aliae orbium coelestium rationem atque concentum explicant, e simplici newtoniano effato deductae: denique ad physiologicos actus spectant aliae, quarum vi animantium organa, novam assumendo veterem exhalando materiam, indesinenter fluunt, instabili ventorum turbini simillima. Si ad harum studiis vacandum conscendimus, non modo ante oculos obversatur Dei praesentia, efficacia et virtus,

---

(1) A. SECCHI: *ib.* pág. 418.

(2) ID.: *ib*, trois. part. § III.—A. HUMBOLDT: *Cosmos*, tom. IV, pág. 213 et seqs. vers. hisp.—C. FLAMMARION: *Astronomie populaire*, liv. VI, chap. X et XI.

(3) LANGEL: *Scientie et Philosophie.*—M. L'ABBÉ MOIGNO: *Physique moleculaire.*—A. SECCHI: *Unité des forces physiques.*—J. ECHEGARAY: *Teorías modernas de la Física.*

omnia circumdans et permeans, *in qua vivimus et movemur et sumus;* sed plura consectaria ad rem nostram efficiendam hauriri posse conspiciemus.

Nihil minutatim dicendum est de his, quae ad aliquorum dogmatum expositionem, sacramentorum materiam, Ecclesiae praeceptorum cognitionem et utilitatem suadendam attinent; nihil etiam de iis, quae necessaria sunt ad intelligenda conciliorum decreta, Pontificum rescripta et ecclesiasticae historiae quaesita, interdum physicis et physiologicis connexa; nihil tandem de interpretatione sacrarum Scripturarum, quae astronomicis, physicis et geologicis rebus undequaque infartae sunt: haec omnia ob temporis angustiam praetermittere duco. Sed in memoriam revocandum est, Jesu Christi religionem in temporalium rerum natura institutam, miraculis effatisque propheticis, quasi fundamento et munimine inniti; ejusque vitam et evolutionem ordini supernaturali obnoxiam incessanter haberi: theologum deinde veram miraculorum notionem, existentiam et possibilitatem propugnare, et ordinis naturalis a supernaturali ordine distinctionem contra legum constantiae et absolutae necessitatis sectatores tueri debere. Quomodo autem ordinem naturalem a supernaturali secernere poterit, si terminos relationis ignorat? Qua ratione cujusdam facti naturam definire valebit, si ei non ignotescat, an adhibitae causae aptae vel impares sint ad effectum producendum? Quo pacto a communi phaenomeno miraculum discriminabit, si legum, quae intersunt, pondus et extensionem non teneat; ac proinde, utrum supremi Vindicis dignus inciderit nodus, cognoscere non polleat? Ad haec judicanda, physicorum peritia et legum, quibus naturae cursus dirigitur, cognitio arte ingenio et experientia conquirenda est.

Isthanc naturae intelligentiam et altum ejusdem sensum maximopere vobis prodesse credo, cum pro sacerdotali munere obeundo populorum gregem in viam salutis cogere obstricti fueritis, ad quamdam mentis aegrimoniam societati officientem, Ecclesiaeque perniciosam rectâ doctrina

antevertendam. De inani religione loquor, de anili superstitione, quae, etiamsi nunc temporis a mortalibus scientiâ et humanitate politis exulare videretur, duo tamen praesefert capita recidenda: obtusio nempe candidae citoque credentis plebis, quae in naturalibus, si mira vel rara appareant, tamquam miraculosè facta pervulgat, et eorum cum veris miraculis ab impiis instituta collatio religionis fundamenta pessundat: illorum deinceps vanitas, qui in naturalium legum extensione et limitatione hospites, ad spirituum inania castra confugiunt, et sub *mesmerismi* aut *spiritismi* appellatione, miserè insaniunt, pacem et familiae quietem deturbant, atque ab ingenuo corde christianam fidem arripiunt.

Religiosè igitur, quae loquor, vobis committo, non quasi novitatum auceps, vel morem hodiernae consuetudini gerens. Fuit in omni tempore cum religione intimè connexum studium naturae, pictoris speciosae tabellae, in qua summus Legislator deauratis litteris legem divinam exaravit. Hebraica Poësis, venustum topiorum genus, pium monotheismum spirans, mundum universum complectitur; poësis spontanea et naturalis, augusta verò et sublimis, quae descriptionibus praestigiarum plenis totius naturae vitam locupletissime evolvit. Ecce enim tenerum, lautum et jucundum Sunamitis sociale carmen: libellus Ruth deliciis et voluptatibus affluens, amoenus et praestantissimus super quos idyllium et epica Musa ad nos usque transmissit[1]. En Psalmorum divina congeries, ubi afflatus vates suavissimo gutture numerosè pangit Dominum amictum lumine et extendentem coelum sicut pellem, terram ab ipso fundatam trementem ad visum, et montes fumigantes ad tactum ejus; fontes qui ex rupibus altis descendunt, rigantque convalles producturos foenum et herbam jumentis, panem et vinum laetificantem cor hominis; volucres super ligna nidificantes, cervos in montibus excelsis, mare animantibus pusillis et magnis refertum; lunae creationem, terminum solis, bestiae

---

(1) Göthe: *Commentar zur Westöstlichen Divan*, p. 8.

nocturnae feraeque diurnae habitus et mores: ita ut incredibile videatur, quomodo tota pene natura concluditur in lyrico [1] tam arctis finibus circumscripto. Obversantur in antiquissimo libro Job, eurinae poësis ideali protypo, ut ait, humanè loquendo, orientalium litterarum consultus [2], coeli et aëris vicissitudines, coacti in nubes vapores, et a ventis postea fugati, stillarum pluvia fluentium ex alto, nivis et grandinis formatio, lucis origo, fulminis coruscationes, lucifer et vesper, micantes pleiades et gyrus Arcturi, ratio et concentus coelorum, volucrum et pecudum instinctus, versutia et intelligentia. Ibique plura proponuntur physica quaesita, ab hodierna scientia conceptioribus verbis expressa, sed nondum enucleata [3].

Nova religionis aetas rescissa a prisca non fuit: ad Creatoris magnitudinem et praestantiam arguendam, ad Deum summis laudibus efferendum, rerum ordine et pulchritudine ducti, sancti traditionis Testes ardens physim versus studium et intelligentiam in suis scriptis exaratam reliquerunt: Minucius, quem animus libenter sequitur Ostiae litora describentem; Basilius dum sex dierum opificia exponit, vel eremum ad Isidem perbellè describit; Nysenus, qui rerum omnium vicissitudines enarrat ad hominis exiguitatem adstruendam; Chrysostomus quum, ad Dei opera operibus hominum anteponenda, coelum, mare et nemora depingit. Tanto amore et libidine naturam prosequuntur, ut luculenter ostendant, quàm commoda, quàm salubris, quàm sancta creaturarum contemplatio sit [4]..... Nubila deinceps medii aevi Orientis afflatu et experientiae fomite dissolvuntur, renascuntur litterae, scientiae invalescunt.... Fidei apologetici praecones naturae illicibus et praestigiis religionem

(1) *Ps.* CIII. Vid. etiam XVII et LXXIV.

(2) E. RENAN: *Le livre de Job*, Préface.—*Histoire generale des lang. semit.*, liv. I, chap. I.

(3) JOB: cap. XXXVII, XXXVIII, XXXIX. *Vid praeterea*, cap. IV, IX, XVI et XVIII.— Cons. GESENIUM: *Geschichte der hebräische Sprache*, p. 33.

(4) MINUTIUS *in Octavio.*—BAS: *Hom. in Hexaemeron, et epi t. Gregorio sodali*, tom. I, edit. Paris 1730, pág. 93.—NYS: tom. II, pág. 324, 619, 860, Par. 1615.—CHRYS: tom. II, pág. 821, 851 ed. Paris. 1838.

exornant, venerandaeque traditiones in poculis conspersis floribus porrectae, non modo per Europae regiones reficiuntur et masculescunt, sed caeruleos gurgites transgredientes ad novas Americae plagas, et usque ad meridionales insulas transferuntur, disseminantur, florescunt, divinaque opitulante gratia, optimos ferunt fructus[1].

Obitum tempus fuit, quo cinxerunt aetherem ignorantiae nimbi, physidis psaltae conticuere, sapientiae fax pallidos vix jactitabat fulgores, quod audacter et inconsultò Ecclesiae crimini tribuitur[2]. Verùm ex hac tenebrarum caligine splendens lux enitescit; ex hoc formidoloso conticinio Principis theologorum erumpit vox, hujus orationis capite infixa, quae in paucis coactat totius disputationis argumentum. Si de iis Aquinatis Doctor tunc temporis pertractabat, cum nondum coelorum sphaerae diffractae, nec e nubilorum penu fulgura avulsa, nec rupes ictu mallei circa ejus originem iterrogatae fuerant; quid in praesentibus rerum adjunctis disserere non putaret, quando altas coelorum dejectiones conspicilii ope humana mens lustrat et scrutatur, terrae praecordia scindit, priscos secures et tela silicea quaerens, atque a veritate devia, fulmina undequaque cudit ad sacrosantam Religionis aedem penitùs diruendum?

Omnibus luctuosi hujus secli mores in se possidentibus notum est, stantes ab effrena mentis licentia, quibus supernaturalis ordo puerorum crepundia, Christi vita et Religionis dogmata mythorum acervus, Ecclesia catholica institutio modo humana post suas jam peractas partes a civili consortio removenda, ad tria potissimum argumentorum loca confugere: ad sacrarum nempe Scripturarum criticas et eruditas disquisitiones ope linguarum orientalium[3], quibus

---

(1) T. Tasso (vid. *Gier. liberata*, c. XVI).—Dante A.: *Divina Com. Purg.* c. I, V, XVIII. Parad c. XXX.— Milton, *quamvis heterodoxus*.— Chateaubriand... *Inter mysticos nostros*, Leon, Granada, S. Teresia Abulensis, *Naturae sensus revelatur in descriptionibus et figuris, quibus ideales conceptus involvuntur*. Vid. Humboldt: *Cosmos*, tomo II, pág. 48 et seq.

(2) P. A. Daguin: *Traitè de Physique*, pág. 6.— Humboldt: *Cosmos*, tom. II, pág. 29.—Sed Vid. Cesar Cantú: *Historia univ.* tom. III, pág. 832, et Bergier: *Dictionaire de Theologie*, ad verbum: *Sciences humaines*.

(3) E. Reuss: *Histoire de la Theologie chret., etc.*, Strasbourg, 1864.— D. J. Strauss: in *Das Leben Jesu*, necnon in *Dogmatik*, etc., etc.

Seminariorum scholas innixiùs impendere necessarium existimo; ad historiae deinceps cerebrosa aucupia[1], quae veritatis magistra ardenti cultu fovenda et alenda est; ad physicorum denique processus legumque naturalium subtiles pervestigationes.

Cum vero naturales scientiae tantopere arrideant propter illecebras, quibus animum demulcent, partim prae bonis et commodis, quae societati pariunt, partim quia sic fert aevi nova consuetudo, quae eo usque processit, ut innumerae quotannis elucubrationes, opera, libelli, ephemerides prodeant, hinc praecipue machinae et arma deprompta et veluti avulsa fuerunt. Ex hac parte, materiae sectatores pugnant, qui Physiologiae Psychologiam temperantes, omnia per atomorum vires et motum explicare conantur, sensationes, memoriam, intelligentiam, voluntatem omnesque vitales actus; in quorum sententia anima non est nisi harum functionum complexus, aut quid ex cerebro secretum; liberum arbitrium amarulenta deceptio, Numinis idea methodium a legislatoribus olim inventum, virtutis et vitii, officii et juris conceptus *voces inopes rerum nugaeque canorae*[2]. Illinc Physicae et Chimiae fatalium legum amatores, qui ex corporum fortuito concursu enucleare intendunt motum, consonantiam, ordinem, vegetabilium et animantium creationem et evolutionem absque suprema rerum causa libera, intelligenti et infinita[3]. Hinc Paleontologiae periti, qui hominis creationem contra sacras litteras longè retrahunt, vel originis identitatem negant, vel a Gorila et Troglodyte progenitum esse autumant. Illinc Geologiae consulti, qui haec post alia terrae strata enumerantes, et uniuscujusque aetatem seculis supputando, non modo a Mosi enarrata primordia subvertere moliuntur, sed ea ad deridendum traducere[4]: ut paucis ab-

---

(1) A. REVILLE: *Histoire du dogma de la divinité de J. C.*, Paris 1876.—E. RENAN: *Des origines du Christianisme*, praecipué tom. V.— F. LAURENT: *Estudios sobre la historia de la humanidad*, praesertim in tom. IV et XVIII hisp. vers.

(2) L. BUCHNER: *Kraft und Stoff*, S. 1, 116, 146, 167, 197. (Leipzig 1869).

(3) ID. ib. S. 59, 66.—BURMEISTER. *Histoire de la creation* Chap. XVII.

(4) BURMEISTER: ib. chap. XXVIII.—V. MEUNIER: *Los antepasados de Adan*, vers. hisp. Madrid, 1876.—DARWIN: *Origen de las especies*, vers. hisp. 2.ª edit.

solvam, materia, vires, fatum, incredulitatis vinculo copulata ad dimicandum comparantur.

Efflorescentium juvenum dilectissime consessus, in quibus hujus Dioeceseos spes reposita est, quibus, tamquam *viris fortissimis tenentibus ensem super femur suum*, religionis praesidium, dogmatum defensio, Scripturae tuitio et vindicta concredenda; ad quos spectat populorum animum in altum evehere, superstitionem ipsis repellere, et in artibus et scientiis et litteris religionis pietatisque spiritum instillare, judicatisne licere vobis posse, sive per jus sive per fas, physicorum cultum despicari? aut contra rerum peritos ineptiis, nugis et erroribus profligare intenditis decoris sacerdotalis labe, religionis pernicie, incredulorum risu insolentique cachino[1]? Procul absit! Utcumque vobis per vestram vocationem liceat, officia et mentis aciem, eorum pia vestigia insectamini virorum, qui enixis viribus physim exequuti, inter rerum naturam et supernaturalem ordinem discrimen consistentes, vitam egerunt, et humanae scientiae thesauros augendo et locupletando, scripta eruditionis plena nobis tradidere, sublatis in Deum hymnis persimilia[2]. Eorum etiam, qui terreni corticis superposita strata pastinantes, praehistoricas organorum tum vegetabilium tum animalium reliquias colligunt, vel alienae industriae et laboris perceptos fructus in lucem producunt, ad revelationem inter verosque scientiae processus concordiam stabiliendam[3]. Eorum denique, qui postquam primam et virilem aetatem naturalium philosophiae dediti impigrè duxere, quum sapientiae compotes effecti sunt, collatis viribus et armis adeo strenuè pro Domo Israel dimicaverunt, ut digni habiti fuerint a S. Apostolica Sede insolitis laudationibus efferri[4].

(1) Deplorandum est aliquos, aliundè pios et callentes viros, in apologeticis libellis res physicas tam inconsultè permiscere: dum imparatam falcem ad messem alienam mittunt, religionis causam in discrimen addicere non verentur.

(2) A SECCHI: in opp. cit. aliisque ab ipso sapienter elucubratis.—P. MOIGNO tam in suis, quam in translatis ab ipso ad gallicum idioma, etc., etc.

(3) VILANOVA: *Manual de Geologia*, Madrid 1872, pág. 575 et ss.—MARCEL DE SERRES: *Cosmogonia Mosaica.*— J. ALMERA in Seminario Barcinonensi Professor: *Cosmogonia y Geologia*, Barcelona, 1877.

(4) Docto Presb. MOIGNO alludere intendimus. Hic in suis scriptis egregiisque

Conscius verò mihi sum, et quoniam "nihil in sacerdote tam periculosum apud Deum tamque turpe apud homines, quam quod sentiant non liberè pronuntiare" (1), et vobis ignotescere debet: inter quosdam seriùs aut ociùs versaturi estis, qui cum in suorum studiorum lapsu nonnulla vix expensa et in posterum non ampliùs enucleata scientiarum elementa, aut solivagas rerum notitias ad verbum didicerint, inutiles prorsus tam istius, quam aliarum disciplinarum propagines suadere vobis conabuntur. Nolite abduci: caecultantes homines sunt, prisca mortalium gens, qui venas aetatis nostrae non tenent, socordes pervolvendi syntagmata in forulis undequaque conclusa, ubi mucedo et tinea demolitur, ubi mures erodunt et furantur. Nolite credere: suarum cognitionum exiguo capite tumentibus, et a barda et plumbea turba graveolenti assentationis thure perfusis nullae scientiarum exquisitiones arrident, nec ullos intelligentiae processus, qui in eorum inopi periocha desiderantur, accipiunt nisi in amaritudine animae suae. Nolite audire: ignaviâ laborantes ad librorum pulverem excutiendum, et auram tenuis famae injuriâ comparatam postfluere trementes, dum fucata quadam et reticenti superbia invalescentem ignoti cupidinem in juventute sopire moliuntur, causam sui capitis agunt, perniciosae quietis, inanisque gloriae.

Operae igitur pretium est his conatibus obviam ire, et prae oculis habere, addiscendi vota et studium nobilissimum esse sacerdotale munus, virtutem inter primores egregiam; ea namque ita nobis necessaria est, ac idoneo doctori institutionis methodus, strenuo militi Mavortis ars, atque experto navis moderatori gubernaculum tenendi ratio. Alacriter ergo litteris incumbite, volumina versate nocturna diurnaque manu: eos autem, quibus consultissimam sapientiae viam sternere datum est, assiduo animo prosequimini; eorumdem quotidianas praelectiones, laboris et insomnii

---

operibus, praecipuè vero in Hebdomadali *Les Mondes*, catholicam fidem tuendam indefessus suscepit; ex consultis elucubrationibus triumphalem Ecclesiae contexuit coronam, in qua radiantem gemman (*Les Splendeurs de la Foi*) venustè nuper inseruit.

(1) S. Ambrosius: Ad Theod. Imp. epist. XL, edit. maur.

fructus, intentis excipite auribus. Nolite denique vos impares adhibere impensae sedulitati et vigilibus curis clarissimi nostri Praesulis, qui institutionis pietati, majestati et amplitudini consulere indesinenter non parcit, cum sibi quidem persuasum sit: catholicum sacerdotem micantem lucem esse debere, *non sub modio, sed super candelabrum positam;* et sacros Ecclesiae ministros, non solum ad orandum, sed ad *praedicandum* et *docendum* institutos fuisse.

DIXI.